

Documenta

Circaria Bohemiae, abbas Praemonstratensis et capitulum generale 1142-1541

(continuatio)*

119

1510 apr. 6. Teplá.

Conventus monasterii Teplensis Joanni abbati Praemonstratensi electionem novi abbatis Teplensis Petri notificant.

Copia chartacea (cum superscriptione «Litterae conventus Teplensis praesentantes dominum Petrum reverendissimo generali») anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 338^{rv} in bibliotheca monasterii Teplensis.

Orationes utinam devotas cum totali subiectione. Gratiose pater¹⁾, nos fratres monasterii Teplensis²⁾ venimus ad venerandam paternitatem vestram scripto petentes, velitis ea ad optata nostra gratiosius recipere, praesertim quoniam abbas dominus Joannes³⁾ modo per infirmitatem corporalem appoplexiae [!] totus viribus destitutus in manus nostras officium abbatae voluntarie resignavit. Ita nos ut oves sine pastore deliberavimus maiori deliberatione, postulavimus et elegimus canonica electione dominum Petrum⁴⁾ abbatem noviter electum Strahoviensem. Et tamen assensus talis electionis pro reverenda paternitate vestra spectat. Petimus humili precatu, quia huc prius mittere propter gravitatem et discrimina viarum non potuimus, velitis gratiose talem electionem approbare et ratificare. Et hoc ideo timebamus de quodam seculari⁵⁾, quia fama volante in monasterium intrusus fuisset et timebamus, quia dilapidasset omnia bona monasterii. Sic dominus Petrus repentinus postulatus in monasterium Teplense institutus fuit. Similiter, gratiose pater, rogamus atque petimus digna instantia, ut credimus paternitati vestrae talis auctoritas est, velitis velationem virginum nostri ordinis in Chotiessaw⁶⁾ plenarie domino Petro abbati moderno, ut nunc et extunc futuris

*) Vide *Analecta Praemonstratensia*, LXIII, 1987, p. 221-258 et LXIV, 1988, p. 143-165, 288-341.

temporibus cum plenaria auctoritate propter multa pericula emergentia vitanda, benigne concedere. Ut igitur sentiamus nostras preces apud gratiosam paternitatem vestram effectualiter fore efficaces, promittimus nos preces nostras pro longaeva sanitate vestra Deo offerre indefessas. Datum ex monasterio Teplensi anno MDX die Saturni ante dominicam Quasimodogeniti.

¹⁾ Cf. notam 1 num. 82.

²⁾ Teplá.

³⁾ Cf. notam 2 num. 112.

⁴⁾ Petrus abbas Teplensis, installatus 2. iul. 1509.

⁵⁾ Theodoricus de Tandorf, artium magister, ecclesiae Vysehradensis et regiae capellae Omnium sanctorum in arce Pragensi praepositus ab anno 1507, antea 1505-1507 decanus. Cf. etiam Annales monasterii Teplensis, t. I, f. 334'-337', in bibl. mon. Teplensis.

⁶⁾ Chotěšov, cf. Backmund, Mon. I, p. 285.

120

1510 apr. 6. Teplá.

Petrus abbas Teplensis Joanni abbati Praemonstratensi scribit de Joanne abbate Teplensi praedecessore suo. Petit etiam, ut electio ipsius in abbatem Teplensem confirmetur.

Copia chartacea anni 1621 in libro manuscriptio Annales monasterii Teplensis, tom. I., fol. 338'-339' in bibliotheca monasterii Teplensis. (Cf. etiam num. 124).

Promptam obedientiam cum summa humilitate, virorum dignissime et praelate plurimum dilecte. Retroactis temporibus dominus Joannes¹⁾ constitutus abbas Teplensis per vestram venerabilitatem institutus visitator²⁾ per Boemiam et Moraviam fuit. Quam commissionem maiori diligentia implere studuit et ut decuit, monasteria in Moravia visitavit. Inter caetera cum in monasterium Lucense³⁾ devenisset, deiectus est in infirmitatem apoplexiae, ex qua insufficientiam obeundi munus suum effectus, debuit abbatiam in manus fratrum resignare⁴⁾. Quod et fecit non coacte. Sicque, dignissime pater, tallias ex certis monasteriis in Moravia, uti visitator exegit. Monasterium Lucense dedit XII florenos, praepositus Cunicensis⁵⁾ IIII florenos, abbas Zabrdovicensis⁶⁾ III florenos, monasterium Hradis⁷⁾ et monasterium Reusch⁸⁾ subacta manu seculari nihil dederunt. Ita tamen praefatus dominus Joannes positus in tali visitatione consumpsit de proprio XL florenos et tamen talia monasteria pro via ipsi domino Joanni tunc abbati subvenire recusarunt addentes quod ante nunquam aliquis eos visitasset, sed solum pater abbas Strahoviensis⁹⁾. Sic dominus Joannes necessitate ductus expensa-

rum IIII florenos de pecuniis obtentis consumpsit. Tandem dominus Joannes abbas ob infirmitatem corporalem et senium domum reversus resignavit non coacte abbatiam ecclesiae Teplensis in manus fratrum, sic me repetiverunt ex monasterio Strahoviensi eligentes in abbatem dictae ecclesiae Teplensis. Quare, venerabilis pater, ego ut filius obedientiae mitto tales tallias in summa XV florenos duntaxat ex tribus monasteriis. Monasteria enim in regno Boemiae nullas tallias dederunt, quia eadem sunt desolata et ipsorum bona pro maiori parte barones regni occupant, ita ut ubi prius XL^{ta} aut L^{ta} fratres steterunt, modo duo vel tres magna inopia pro conservatione loci vix vitam deducere possunt. Demum, amplissime virorum, singula singulis pensantes dignissimum videtur, ut aliquis volente consuetudine in visitatorem eligatur etiam attendentes magnam fatigationem nostri monasterii et impugnationem a baronibus regni, petimus reverendam paternitatem vestram, ut aliquem alium praeter monasterium nostrum in talem visitatorem eligere velit. Ultimo cum venerabili nostro conventu maiori instantia peto, ut vestra gloriosa paternitas me propter deum ad praefatum Teplense monasterium confirmare, instituere et investire per praesentem nuncium benigne dignetur. In his mihi et conventui nostro certe rem pergratam imo dignam facietis. Datum ex monasterio Teplensi sabbatho ante dominicam Quasimodogeniti anno MDX.

Petrus¹⁰⁾ abbas monasterii Teplensis, Pragensis diocesis.

Reverendissimo in Christo patri ac domino domino Joanni¹¹⁾ miseratione divina supremo abbati Praemonstratensi, sibi maiori atque patri gratioso.

¹⁾ Cf. notam 2 num. 112.

²⁾ Cf. litteras num. 112 4. maii 1507 datas.

³⁾ Louka.

⁴⁾ Joannes abbas Teplensis resignavit ante 2. iul. 1509.

⁵⁾ Nomen praepositi Cunicensis huius anni ignoratur.

⁶⁾ Andreas abbas Zabrdovicensis 1506-1515.

⁷⁾ Hradisko.

⁸⁾ Nová Říše.

⁹⁾ abbas Strahoviensis erat «pater-abbas» monasterii Teplensis, cui tunc praeerat abbas Petrus auctor harum litterarum.

¹⁰⁾ Petrus abbas Strahoviensis, electus in abbatem Teplensem ante 2. iul. 1509, quo iam installatus fuit. Confirmatus demum 10. maii 1510, cf. num. 124.

¹¹⁾ Cf. notam 1 num. 82.

[1510 apr. 29.-mai 1. St. Quentin.]

Joannes¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Danieli

Taypfel, procuratori ordinis Romae iniungit ut compellat (inter alios) etiam praelatos circariae Bohemiae et Moraviae ad solvendum tallia et contributiones ordini debitas et illas recipiendum et quitantiam dandum.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta II, p. 131: «Item, fiat procuratorium speciale dirigendum fratri Danieli Taypfel²⁾, procuratori ordinis in Urbe, ad compellendum praelatos circariae Moraviae, Bohemiae, Hungariae, Daciae, Norvegiae necnon abbatem³⁾ monasterii Belli-Portus in Britannia, Briocensis diocesis, ad solvendum tallia et contributiones ordini debitas et illas recipiendum et quitantiam dandum».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 82.

²⁾ Cf. notam 3 num. 113.

³⁾ *Joannes Le Bigot 1498-1540, abbas de Beauport, Dép. Côtes-du-Nord, dioec. St. Brieuc/Bretagne, in Gallia.*

122

[1510 apr. 29.-mai 1. St. Quentin.]

Joannes¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Daniele Taypfel, procuratorem ordinis, visitatorem annum circariarum Austriae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Ierosolimitanae instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta II, p. 141-142: «Visitatores anni praesentis quingentesimi decimi... Austriae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Ierosolimitanae: Procurator ordinis²⁾».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 102.

²⁾ Cf. notam 3 num. 113.

123

1510 mai 9. Mont St. Martin.

Joannes abbas Praemonstratensis [Petrus] abbatem Teplensem visitatorem in circariis Bohemiae et Moraviae ad novem annos instituit.

Copia chartacea anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I., fol. 340^r-341^r in bibl. mon. Teplensis. Cf. Valvekens, Acta II, p. 141-142, ubi nihil de novem annis dicitur.

Joannes¹⁾ permissione divina abbas Praemonstratensis ad Romanam curiam nullo medio pertinens totiusque ipsius ordinis iudex superior et generalis reformatore venerabili nobis in Christo confratri abbati²⁾ Teplensi nostri Praemonstratensis ordinis salutem in domino et in

commissis diligentiam adhibere studiosam. Cum vis humanae naturae non patitur unum corpus uno eodemque tempore locis pluribus comprehendere nosque susceptam curam regiminis in his et aliis partibus personarum exercere nequeamus. Hinc est quod vobis, de cuius fidelitate, discretione et industria, quas velut aurum in fornace probavimus, plenam fiduciam obtinentes in virtute sanctae obedientiae mandamus et mandando committimus, quatenus assumpto aliquo nostri ordinis zelatore praelato vel canonico litterato aut pluribus, si visum aut necesse fuerit auctoritate nostra solum deum habentes prae oculis omnia et singula monasteria, personas et loca utriusque sexus nostri ordinis in circariis et partibus Boemiae et Moraviae constitutas seu constituta potissime a singulis ordinis nostri subditis tria vota essentialia religionis laudabiliter observari et tam habituum quam aliarum curiositatum deformitates faciat evitari corrigentes et reformantes in eisdem monasteriis et locis, quae secundum Deum, statuta et consuetudines laudabiles nostri ordinis tam in capite quam in membris et tam in spiritualibus quam in temporalibus. Et ut hanc nostram commissionem utilius exequi valeatis, praelatos monasteriorum in dictis circariis constitutos, si quem aut quos, quod absit, inutiles, inobedientes aut ordinis praevaricatores inveneritis, deponendi et eos ad cedendum compellendi, resignationes seu cessiones praelatorum iustas cedendi, praetendendi, recipiendi et ipsis cedentibus secundum suorum exigentiam meritorum et ecclesiarum facultates de pensione competentibus providendi ecclesiisque et alias sic vacantibus de novis praelatis salvo iure illorum quorum interfuerit rite et canonice providendi seu provideri faciendi, apostatas aliosque vitiosos capiendi, arrestandi, incarcerandi, incarceratos liberandi vel ad alia loca emittendi ac emissos ad proprias ecclesias remittendi. Praelatos ac subditos nostri ordinis ad nostrum generale capitulum citandi confessionesque omnium et singulorum utriusque sexus nostri ordinis personarum audiendi ipsasque personas a peccatis suis vobis confessis et in casibus nobis permissis absolvendi et super irregularitate si quam quod absit contraxerunt cum eisdem dispensandi. Caeterum tallias seu contributiones ordini debitas et debendas tam praeteritis quam futuris temporibus suas ecclesias concernentes pro tuitione iurium ordinis nostri eisdem impositas petendi, exigendi et recipiendi ac quitancias de receptis per vos sub sigillo vestro tradendi et concedendi. Contra illos cuiuscunque status seu praeeminentiae extiterint, qui ipsas solvere recusaverint, excommunicationis sententiam fulminandi et alias contra illos iuxta nostri ordinis statuta debite procedendi. Illos vero, qui ob non solutionis defectum praedictarum talliarum excommunicationis sententiam incurrerint et eas

post breve tempus solverint, cum effectu absolvendi. Et quicquid super praemissis omnibus et singulis ac ea tangentibus per debitam executionem feceritis, quae nobis et saepedicto capitulo generali iuxta statuta et consuetudines nostri ordinis antedicti fuerint referenda, una cum talliis et contributionibus ordinis tam ecclesiarum vestrarum quam aliarum per vos receptis et debitis infra triennium a data praesentium et sic continuando de triennio in triennium omni excusatione postposita nobis et capitulo nostro generali memorato referatis seu transmittatis. Et generaliter omnia alia et singula faciendi, ordinandi, quae nostrum requirit officium et quae ipsis praedictis monasteriis ac eorum personis et ordini nostro utilia ac decentia noveritis seu quomodolibet profutura, quae faceremus et facere possemus, si praesentes ac personaliter interessemus, vobis tenore praesentium cum plenitudine potestatis concedimus facultatem. Praesentibus usque ad novem annos duraturis³⁾. Datum in coenobio Montis sancti Martini⁴⁾ sub sigillo nostro anno domini MDX die vero IX^a mensis maii.

¹⁾ Cf. notam 1 num. 82.

²⁾ Cf. notam 10 num. 120.

³⁾ Quod significare deberet usque ad annum 1519. Anno 1513 et 1514 subrogatus in locum eius Daniel Taypfel procurator ordinis, anno 1515 et 1516 Amatus de Fonte prior collegii Parisiensis, anno 1517 et 1518 Mathurinus Dandelle prior collegii Parisiensis, omnes cum potestate substituendi (cf. numeros 130, 131, 132, 133, 134, 135) et revera Petrus abbas Teplensis in documentis diversorum annorum intitulatur «visitator generalis» nempe circariae Bohemiae et Moraviae, prima vice 1512 iul. 16., iteratis vicibus 1514 iun. 12., 1515 maii 18., 1517 oct. 25., 1517 nov. 30., 1518 febr. 3.

⁴⁾ Mont St. Martin, dép. de l'Aisne, dioec. Cambrai nunc Soissons in Gallia.

1510 maii 10. Mont St. Martin.

Joannes abbas Praemonstratensis electionem Petri abbatis Teplensis confirmat.

Copia chartacea anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I., fol. 339^v in bibliotheca monasterii Teplensis. (Cf. etiam num. 120).

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis Joannes¹⁾ permissione divina abbas Praemonstratensis ad Romanam curiam nullo medio pertinens totiusque ipsius ordinis iudex superior et generalis reformatore salutem in omni[um] creatore. Notum facimus quod pro parte fratris Petri²⁾ religiosi monasterii Teplensis nostri Praemonstratensis ordinis nobis fuit humiliter demonstratum³⁾ quod his non multis ante diebus dominus Joannes praedicti Teplensis monasterii abbas iam senio fractus

ac viribus corporis aliququaliter destitutus non vi, metu, coacte neque aliqua sinistra machinatione circumventus, sed sponte et eius proprio motu et matura deliberatione praehabita monasterium praedictum Teplense in manibus religiosorum suorum resignavit its quod resignatione sic facta et admissa idem religiosi unanimiter, uno consensu, vota sua in praedictum fratrem Petrum direxerunt et advocaverunt eundem eligendo et praeficiendo in abbatem dicti monasterii, cui suum consensum praebuit pariter et assensum, supplicantes⁴⁾ nobis postmodum, quatenus ut eandem electionem seu postulationem sic ut praemittitur factam, ratam, gratam et firmam habere et eidem nostrum consensum pariter et assensum praebere et eandem, prout nostro incumbit officio confirmare et de eadem eidem electo in quantum nobis foret possibiliter [!] providere et conferre dignemur. Nos ergo supplicationibus praedictis benigniter [!] inclinati praemissa considerantes et attententes [!] dictam electionem sicut praemittitur digne et laudabiliter factam, iustam et idoneam factam eundemque electum vita, scientia, moribus commendatum reperimus, prout luculenter constitit et constat. Eapropter eandem electionem sicut praemittitur factam et quaeque sequuta [!] sunt ex praemissis laudamus, approbamus, ratificamus et confirmamus ipsumque fratrem Petrum praedictum, sic ut praemittitur, digne et laudabiliter electum in abbatem dicti monasterii Teplensis pronunciamus et declaramus ac de eodem monasterio eidem providimus mandantes omnibus et singulis dicti monasterii religiosis praesentibus et futuris in virtute sanctae obedientiae et sub poenis in statutis nostris contentis, quatenus praefato fratri Petro abbati in omnibus ac per omnia debitam reverentiam deferant, humiliter obediant et tanquam patri spirituali pareant realiter et cum effectum, consilium, auxilium et favorem praestent, salvis tamen omnibus sanctae sedis ac domini nostri papae reverentia et ipsius constitutionibus apostolicis. Et quia haec omnia et singula rata fore cupimus, has praesentes litteras super hoc confici et conscribi fecimus et sigillo nostro, quo in talibus utimur, appensione communiri. Datum in coenobio Montis sancti Martini⁵⁾ anno domini MDX die vero X^a mensis maii.

¹⁾ Cf. notam 1 num. 82.

²⁾ Cf. notam 10 num. 120.

³⁾ Cf. litteras num. 119 et 120.

⁴⁾ *Itidem.*

⁵⁾ Cf. notam 4 num. 123.

1510 maii 10. Mont St. Martin.

Joannes abbas Praemonstratensis abbati Teplensi concedit, ut virginibus in monasterio Chotesoviensi velum dare queat.

Copia chartacea anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I., fol. 340^r, alia copia de anno 1664 in tomo II., fol. 51^v-52^r, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Joannes¹⁾ permissione divina abbas Praemonstratensis ad Romanam curiam nullo medio pertinens totiusque ipsius ordinis iudex superior et generalis reformator venerabili nobis in Christo confratri abbati²⁾ Teplensi nostri Praemonstratensis ordinis salutem in domino et piaie petitionis affectum. Piis subditorum votis inclinati ea libenter annuimus, quae religionis nostrae decorem fovere videntur et disciplinam augere regularem. Cum itaque pro parte vestra nobis porrecta continuerit supplicatio, quatenus quotiens nonnullas iuenculas religionem nostram apprime ingredi affectantes ad societatem caeterarum religiosarum in monasterio Chotiessoviensi^{a)} ³⁾ licentiam dare et recipere possitis ac eisdem^{b)} dare velum de nostra auctoritate^{c)} superiori vellemus et dignaremur. Hinc est petitionibus vestris tanquam iustis et rationi consonis grato concurrentes [!] assensu, ut igitur dare velum virginibus et eas recipere et installare in monasterio praedicto monialium, de consensu tamen abbatissae [!]⁴⁾ ac caeterarum religiosarum^{d)} solennitatibus in talibus rite et canonice observatis valeatis, nostram potestatem, quoad vixeritis in humanis, pariter et auctoritatem^{e)} tenore praesentium vobis impertimur. In cuius rei testimonium sigillum nostrum his praesentibus duximus appensione communiri^{f)}. Datum in coenobio nostro Montis sancti Martini⁵⁾ anno domini MDX die X^a mensis maii.

Variationes in Ann. mon. Tepl. tom. II. fol. 51^v-52^r:

^{a)} «Cotieschoviensi».

^{b)} «iisdem».

^{c)} «auctoritate».

^{d)} *Loco «caeterarum religiosarum» habetur tantum «monialium».*

^{e)} «auctoritatem».

^{f)} «communi [!]».

¹⁾ Cf. notam I num. 82.

²⁾ Petrus, abbas Teplensis, cf. notam 10 num. 120.

³⁾ Chotěšov.

⁴⁾ Abbatissa Chotesoviensis sic appellatur erronee, quia conventus sororum a priorissa regebatur.

⁵⁾ Cf. notam 4 num. 123.

126

[1511 maii 18.-20. St. Quentin]

Joannes¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Petrum abbatem Teplensem visitatorem annum circariae Bohemiae et Moraviae instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta II, p. 158: «Visitatores anni presentis millesimi quingentesimi undecimi: ...Bohemie et Moravie: Abbas Teplensis²⁾».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 82.

²⁾ Cf. notam 10 num. 120. Cf. etiam litteras num. 123 9. maii 1510 datas, quibus idem abbas visitator ad novem annos institutus fuit.

127

[1511 maii 18.-20. St. Quentin.]

Joannes¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Danielelem Taypfel procuratorem ordinis, visitatorem annum circariarum Austriae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Jerosolimitanae instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta II, p. 158-159: «Visitatores anni presentis millesimi quingentesimi undecimi: ...Austrie, Polonie, Tuscie, Calabrie, Dacie, Norvegie et terre Hierosolimitane: Procurator ordinis²⁾».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 82.

²⁾ Cf. notam 3 num. 113.

128

[1512 maii 9.-11. St. Quentin.]

Joannes¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Petrum abbatem Teplensem visitatorem annum circariae Bohemiae et Moraviae instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta II, p. 171: «Visitatores anni presentis quingentesimi duodecimi: ...Bohemie et Moravie: Abbas Teplensis²⁾».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 82. Joannes abbas Praemonstratensis obiit eodem anno 1512 maii 18. apud Sanctum Quintinum, ergo non multo post celebratum capitulum generale (Cf. J. Le Paige, Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis, p. 953).

²⁾ Cf. notam 10 num. 120. Hoc ipso anno 1512 iul. 16. Georgius abbas Milocensis scribit «Petro abbati monasterii Teplensis necnon visitatori generali praelato nobis amando» (copia posterior in archivo monasterii Siloensis in Bohemia, hodie in archivo regionali status in Třeboň in Bohemia meridionali).

[1512 maii 9.-11. St. Quentin.]

Joannes¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Danielem Taypfel procuratorem ordinis et Amatam de Fonte priorem collegii Parisiensis visitatores annuos circariae Austriae, Poloniae, Tusciae et Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Jerosolimitanae instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta II, p. 171-172: «Visitatores anni presentis quingentesimi duodecimi: ...Austrie, Polonie, Tuscie et Calabrie, Dacie, Norvegie et terre Hierosolomitane [!]: Procurator ordinis²⁾ et prior scholarium³⁾».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 82.

²⁾ Cf. notam 3 num. 113.

³⁾ Amatus de Fonte, religiosus monasterii Branensis, acceptus est in priorem collegii Parisiensis ab eodem capitulo generali anno 1512 (cf. Valvekens, Acta II, p. 169 et nota 87 ibid.).

[1513 apr. 24.-26. Laon.]

Jacobus¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Danielem Taypfel, procuratorem ordinis, visitatorem annum circariarum Angliae, Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Jerosolimitanae cum potestate substituendi instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta II, p. 182-183: «Visitatores anni presentis millesimi quingentesimi decimi tercii: ...Anglie, Bohemie, Moravie, Polonie, Tuscie, Calabrie, Dacie, Norvegie et terre Iherosolimitane: Procurator ordinis²⁾ cum potestate substituendi³⁾, assumpto secum aliquo prelato nostri ordinis, quem in qualibet circaria mutare poterit. Cum auctoritate recipiendi tallias in regno Hungarie iuxta et secundum gratiam per capitulum generale eis concessam».

¹⁾ Jacobus de Bachimont 1512-1531.

²⁾ Cf. notam 3 num. 113.

³⁾ Cf. notam 3 num. 123.

[1514 maii 14.-16. Prémontré.]

Jacobus¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Danielem Taypfel, procuratorem ordinis, visitatorem annum circariarum Angliae,

Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Jerosolimitanae cum potestate substituendi instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta II, p. 191-192: «Visitatores anni presentis millesimi quingentesimi decimi quarti: ...Anglie, Bohemie, Moravie, Colonie [!loco Polonie], Tuscie, Calabriae, Dacie [!], Norgvegie et terre Iherosolimitane: Procurator ordinis²⁾ cum potestate substituendi³⁾ assumpto secum aliquo prelato nostri ordinis, quam [!] in qualibet circaria mutare poterit».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ Cf. notam 3 num. 113.

³⁾ Cf. notam 3 num. 123.

132

[1515 maii 6.-8. Braine.]

Jacobus¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Amatium de Fonte, priorem collegii Parisiensis, visitatorem annuum circariarum Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Jerosolimitanae cum potestate substituendi instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta II, p. 206-207: «Visitatores anni presentis millesimi quingentesimi decimi quinti...Bohemie, Moravie, Colonie [!loco Polonie], Tuscie, Calabriae, Dacie, Norgvegie et terre Hierosolomitane [!]: Prior scholarium²⁾ cum potestate substituendi³⁾».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ Cf. notam 3 num. 129.

³⁾ Cf. notam 3 num. 123.

133

[1516 apr. 20.-22. Braine.]

Jacobus¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale priorem collegii Parisiensis visitatorem annuum circariarum Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Jerosolimitanae cum potestate substituendi instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta II, p. 220-221: «Visitatores anni presentis millesimi quingentesimi decimi sexti: ...Bohemie, Moravie, Colonie [!loco Polonie], Tuscie, Calabriae, Dacie, Norgvegie et terre Iherosolimitane: Prior scholarium²⁾ cum potestate substituendi³⁾».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ Forsan Amatus de Fonte, tunc iam abbas Camerae Fontis.

³⁾ Cf. notam 3 num. 123.

134

[1517 maii 11.-13. Prémontré.]

*Jacobus*¹⁾ abbas *Praemonstratensis et capitulum generale Mathurinum Dandelle, priorem collegii Parisiensis, visitatorem annuum circariarum Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Jerosolimitanae cum potestate substituendi instituunt.*

*Litterae deperditae, cf. Valvens, Acta II, p. 230-231: «Visitatores anni praesentis millesimi quingentesimi decimi septimi: ... Bohemie, Moravie, Polonie, Tuscie, Calabrie, Dacie, Norgvegie et terre Hierosolimitane [!]: Prior scholarium*²⁾ *cum potestate substituendi*³⁾».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ *Mathurinus Dandelle, religiosus monasterii Praemonstratensis, ab ipso capitulo generali anno 1517 in priorem collegii Parisiensis acceptus est.*

³⁾ Cf. notam 3 num. 123.

135

[1518 maii 2.-4. Prémontré.]

*Jacobus*¹⁾ abbas *Praemonstratensis et capitulum generale Mathurinum Dandelle, priorem collegii Parisiensis, visitatorem annuum circariarum Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Jerosolimitanae cum potestate substituendi instituunt.*

*Litterae deperditae, cf. Valvens, Acta II, p. 245-246: «Visitatores anni presentis millesimi quingentesimi decimi octavi: ... Bohemie, Moravie, Polonie, Tuscie, Calabrie, Dacie, Norgvegie et terre Iherosolimitane: Prior scholarium*²⁾ *cum potestate substituendi*³⁾».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ Cf. notam 2 num. 132.

³⁾ Cf. notam 3 num. 123. Incertum manet, num etiam Petrum abbatem Teplensem sibi substituerit. Qui Petrus hoc ipso anno sed iam antehac nempe 1518 febr. 3. ultima vice ut «visitator generalis» (circariae Bohemiae et Moraviae) occurrit. Verisimiliter erat hac in functione abbas Gradicensis (Paulus 1508-1524), de quo prima vice 1519 apr. 20. (arch. monasterii Teplensis, orig. chart. num. 296): «... abbas Gradicensis scribit et nominat se procuratorem generalem per Moraviam et Boemiam constitutus per Daniele procuratorem ordinis in Romana curia et hic tallias colligit...», ut scribit Antonius abbas Strahoviensis Petro abbati Teplensi et denuo sed ultima vice 1520 maii 6. audimus (cf. litteras num. 137: «... qui se asserit habere institutionem a procuratore ordinis Rome residenti», sed haec institutio (forsan perperam) attribuitur Danieli, de quo cf. notam 3 num. 113 et qui iam anno 1515 revocatus et 1516 contumax reputatus est.

[1519 maii 22.-24. Prémontré.]

*Jacobus*¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Quintinum Hennocque, procuratorem ordinis Romae, visitatorem annuum circariarum Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae, Norvegiae et terrae Jerosolimitanae cum potestate substituendi instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, *Acta II*, p. 263-264: «Visitatores anni presentis millesimi quingentesimi decimi noni: ... Bochemie [!], Moravie, Polonie, Tuscie, Calabrie, Dacie, Norgvegie et terre Iherosolimitane: Procurator²⁾ in Urbe cum potestate substituendi³⁾».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ Quintinus Hennocque, religiosus monasterii s. Martini (Braine) dioec. Cameracensis, institutus est ab eodem capitulo generali anno 1519 procurator ordinis Romae (Valvekens, *Acta II*, p. 263).

³⁾ Cf. notam 3 num. 135.

1520 maii 6. Prémontré.

Jacobus abbas Praemonstratensis et capitulum generale Petrum abbatem Teplensem visitatorem in circariis Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae et Norvegiae ad triennium instituunt.

Orig. perg. in archivo monasterii Teplensis, hodie in archivo regionali status Pilsnensi, sign. RP Teplá. num. 254. Sigillum avulsum et deperditum.

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 347^{r-v}, incompleta, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Cf. Valvekens, Acta II, p. 267-268, ubi fusius de hac commissione triennali et p. 283-284, ubi etiam de commissione ad visitandam terram Jerosolimitanam, de qua autem in litteris ipsis nulla sermo fit.

*Jacobus*¹⁾ sacre theologie professor permissione divina Premonstratensis abbas et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale venerabili nobis in Christo confratri nostro abbati²⁾ Teplensi salutem et in commissis paratissimam diligentiam. Cum quis commisse sue legacionis officium adimplere nequeat, equitatis ratio suadet et approbat, ut tales in sue alleviationis partem assumat, qui vices ipsius laudabiliter possint adimplere. Idcirco nos de tuis discreta scientia et laudabili diligentia non immerito confidentes in virtute salutaris obedientie firmiter et districte tibi precipiendo mandamus et mandantes committimus, quatinus

assumpto tecum aliquo nostri ordinis zelatore prelato vel canonico literato diligenter et actente visites et reformes omnia et singula monasteria, personas et loca nostri ordinis tam in spiritualibus quam in temporalibus et tam in capite quam in membris Deum solum pre oculis habens in circariis Bohemie, Moravie, Polonie, Tuscie, Calabrie, Dacie et Norgvegie [!] constitutas et constituta sollicite et actente corrigendo et reformando in eisdem monasteriis, que secundum Deum, privilegia, constitutiones et statuta nostri ordinis noviter modificata corrigenda et reformanda reppereris. Potissime facias a singulis nostri ordinis subditis tria religionis essentialia vota firmiter et inviolabiliter observari et habitum decentem cum rasura debita deferri et tam habituum, vellorum [!] et cantus quam aliarum curiositatum et variorum colorum deformitates evitari, confessiones omnium personarum nostri ordinis in dictis circariis et earum partibus constitutarum ad te recursum habentium audiendi et easdem tam a sententia excommunicationis ordinis et iuris in casibus nobis permissis quam a suis peccatis humiliter et devote confessis absolvendi eisdemque penitentias salutare iniungendi necnon cum subditis nostri ordinis super voce, stallo et obedientia nominata ad intercessionem suorum prelatorum seu aliquorum proborum virorum et alias secundum exigentiam delictorum et ad honores pristinos actusque legitimos [!] restituendi salvo tamen in omnibus iure reverendissimi patris domini Premonstratensis, apostatas et fugitivos nostri ordinis ubilibet capiendi seu capi et arrestari faciendi, electiones quoque prelatorum ac etiam electos et postulatos diligenter examinandi et reprobandi vel confirmandi, iure etiam nostro et cuiuslibet alieno salvis. Ipsosque electos et postulatos episcopo vel episcopis ad munus benedictionis accipiendum presentandi et si fratres aut canonici ecclesiarum seu monasteriorum de pastore eligendo fuerint discordes et de facili ad concordiam reduci [!] non possent, etiam si personas minus ydoneas aut insufficientes elegerint vel vicium seu vicia in electionibus, cessionibus vel postulationibus intervenerint seu intervenerint propter quod ius provisionis illarum ad nos sit devolutum eisdem ecclesiis vacantibus providendi, convocationes etiam prelatorum et conventuum earundem ecclesiarum, ad quas tutus non patebit accessus ad loca tuta faciendi et ibi pariformiter visitandi, prelatos vero supradictarum circariarum sub pena excommunicationis ac privatione [!] officiorum et beneficiorum compellendi, ut decentes habitus cum scapulari et cucula ab omnibus nostri ordinis deferantur et quod in omnibus monasteriis predictarum circariarum hore decenter cantentur et si quem aut quos abbatem seu abbates

inobedientes, inutiles aut tam dicti nostri ordinis prevaricatores seu visitationem tuam recusantes quomodolibet per se vel alium seu alios impediētes inveneris, deponendi et amovendi ipsisque ecclesiis seu monasteriis de novis prelatis providendi. Appellationes vero tam prelatorum quam subditorum nostri ordinis dictarum circariarum ad nos interiectas recipiendi et de eisdem appellationibus cognoscendi et definiendi, visitationes faciendi et exercendi ac expensas moderatas secundum facultates ecclesiarum per vos iuxta ordinis statuta et laudabiles consuetudines in dicto nostro ordine hactenus observatas petendi et recipiendi prelatosque antedictarum circariarum compellendi ad solvendam unam talliam extraordinariam concessam reverendissimo patri domino Jacobo Premonstratensi abbati prenominato pro suis laboribus et expensis, quas sustinuit per annum integrum ordini nostro serviendo et potissime in sua promotione Premonstratensi necnon curatos monasteriorum predictarum circariarum ad solvendam unam gratiosam contributionem per teipsum cum consilio propriorum abbatum secundum valorem beneficiorum suorum taxandam si persoluta non fuerit compellendi et de receptis quicquid dandi ac huiusmodi prelatos per censuras ecclesiasticas et ordinis nostri penas cogendi. Contractus vero licitos utilitatem monasteriorum nostri ordinis concernentes confirmandi et approbandi, illicitos vero et in prejudicium nostri ordinis initos inficiendi, infirmandi, annullandi et rescindendi, apostatas et fugitivos incarcerandi necnon a carceribus absolvendi et tam ad ecclesiam Premonstratensem quam ad alias nostri ordinis ecclesias emittendi et alias disponendi prout tibi videbitur opportunum. Monasteria nostri sepedicti ordinis a dicto ordine alienata recuperandi et ad ipsum ordinem repoenendi omnesque prelatos monasteriorum in iam dictis circariis existentium ad communem vitam sicut alia monasteria tam in habitu quam alias reducendi et ipsos prelatos ad solutionem talliarum ordinariarum nobis et ordini nostro debitarum annuatim non solutarum tam pro presenti anno quam retroactis annis cogendi et compellendi easque tallias ordinarias, extraordinarias et contributiones a dictis prelatis recipiendi atque de receptis quicquid dandi et contra illos, qui huiusmodi tallias seu contributiones solvere neglexerint excommunicationis sententias in suis propriis ecclesiis et locis circumvicinis fulminandi ac illos, qui pro huiusmodi causa sententias excommunicationis incurrerint, si eas cum effectu solverint, absolvendi et tallias recipiendi ab abbate Gradiensi³⁾, qui se asserit habere institutionem a procuratore ordinis Rome residenti illasque nostro capitulo generali mittendi et cognoscendi de

delicto seu flagranti fratris Casperi [!] Moravi⁴⁾ quondam abbatis monasterii Stroviensis [!] alio nomine Montis Syon eiusque monasterii nuper simplicis religiosi ipsumque puniendi secundum qualitatem et quantitatem sui delicti ac etiam cum eo misericorditer agendi, si per penitentiam aut contritionem meruerit quoque penas in nostris privilegiis et statutis contentas abbatibus, qui minime nobis et ordini nostro manualement fecerint obedientiam, ut tenentur infligendi et sententias, quas propter hoc incurrerint, ad tempus relaxandi seu cum eisdem dispensandi eosque auctoritate nostra absolvendi abbatesque nostri ordinis earundem circariarum singulis annis ad colloquendum et tractandum de statu et reformatione ordinis in loco, quo tutus patebit accessus, convocandi et que ab eis tractata fuerint, nostro generali capitulo post hec referendi, quatinus super his per nos concludantur, que videbuntur concludenda ac teipsum comitandum seu conducendum de monasterio ad monasterium expensis ipsorum monasteriorum visitandorum et visitatorum iuxta sententiam Pauli Nemo tenetur propriis stipendiis militare⁵⁾, abbates eorundem monasteriorum per censuras ordinis cogendi ipsosque abbates ad comparendum seu mittendum ad nostrum generale capitulum quolibet anno secundum formam statutorum ipsisque sub excommunicationis pena late sententie, quod reformationem secundum statuta nostri ordinis noviter modificata acceptent, precipiendo et viriliter exequendo et generaliter omnia alia et singula faciendi, gerendi et disponendi, que commissionis et visitationis requirunt officium et que ecclesiis seu monasteriis ordinis nostri et eorundem personis utilia et opportuna fore et esse noveris et que faceremus seu facere possemus, si presentes et personaliter his omnibus interessemus. Vobis autem quoad premissa omnia et singula ac ab eisdem dependentia presentium tenore facultatem concedimus absolventes procuratorem Urbis⁶⁾ ab officio visitationis sibi commisse in prefatis circariis et loco eius te ipsum instituentes quoad supradicta, contradicto[re]s, si qui sunt, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescendo invocato ad hoc si opus fuerit brachii secularis auxilio. Presentibus autem ad triennium duraturis et post minime valituris. In quorum omnium et singulorum premissorum fidem, robur et testimonium nostri capituli generalis Premonstrati celebrati anno domini millesimo quingentesimo vigesimo mensis maii die sexta presentibus litteris sigillum duximus apponendum.

[*Sub plica in parte dextra*]: De mandato reverendissimorum dominorum meorum Gerhardus Jardel manu propria ordinis notarius⁷⁾.

[*Super plicam in parte sinistra*]: Visa J.⁸⁾.

[*In dorso*]: Data potestas reformandi monasteria a supremo abbate nostri ordinis [*manu fere coaeva*].

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ Cf. notam 10 num. 120.

³⁾ Paulus abbas Gradicensis 1508-1524.

⁴⁾ Casparus abbas Strahoviensis 1510-1517, resignavit.

⁵⁾ Nemo tenetur propriis stipendiis militare, cf. I. Cor 9,7: Quis militat suis stipendiis umquam?

⁶⁾ Cf. notam 2 num. 136.

⁷⁾ Mag. Gerardus Jardel, 24. apr. 1513 acceptus in notarium ordinis (Valvekens, Acta II, p. 176), 28. apr. 1532 destitutus officio notariatus (Valvekens, Acta III, p. 23); de falsa lectione eius nominis (Gardel) cf. Valvekens, Acta II, p. 145.

⁸⁾ J = Jacobus abbas Praemonstratensis. Cf. litteras num. 76 anni 1485 (ibid. nota 6), ubi in simili loco H = Hubertus abbas Praem.

138

[1523 maii 3.-5. Braine.]

Jacobus¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Petrum²⁾ abbatem Teplensem visitatorem in circariis Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Tusciae, Calabriae, Daciae et Norvegiae ad triennium instituunt.

Litterae deperditae. Cf. litteras 1520 maii 6. datas (num. 137) vi quarum Petrus abbas Teplensis institutus est visitator «ad triennium», id est usque ad annum 1523. Haec institutio repetitur etiam in capitulo generali anno 1521 (Valvekens, Acta II, p. 293-294), iterata vice sermo fit de visitatione terrae Jerosolimitanae (quod in litteris ipsis nempe anni 1520 non occurrit). Item anno 1522 «visitatores anni presentis ordinati sunt ut in anno precedenti [= 1521]» (Valvekens, Acta II, p. 301). Quia institutio anno 1520 ad triennium facta anno 1523 expiravit, coniici potest, hoc ipso anno 1523 novam institutionem ad triennium factam esse (nempe usque ad annum 1526). Anno 1524 enim «visitatores anni praesentis continuati sunt in ipso officio, prout in anno praecedenti [= 1523]» (Valvekens, Acta II, p. 318), id ipsum supponere licet etiam pro anno 1525, quamquam nihil in actis capituli generalis huius anni (1525) invenitur (Valvekens, Acta II, p. 322). De iterata prolongatione dignitatis visitorum cf. etiam Valvekens, Acta II, p. 332, ad annum 1526, ubi legitur: «Visitatores huiusce praesentis anni [= 1526] illi sunt quingentesimi vicesimi [= 1520]». Opinio nostra novam institutionem visitoris nempe Petri abbatis Teplensis, anno 1523 revera factam esse ex actis capituli generalis huius anni confirmatur: «Visitatores anni praesentis [= 1523] et deputantur prout in anno praecedenti [= 1522]» (Valvekens, Acta II, p. 309).

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ Cf. notam 10 num. 120. Obiit autem Petrus abbas Teplensis die 14. febr. 1526 et post breve tempus (24. iul. 1526) successor eius Antonius abbas Teplensis confirmatus (cf. num. 140) et sequenti die 25. iul. 1526 visitor institutus est (cf. num. 141).

1526 iunii 16. [Teplá.]

Georgius prior, Egidius supprior, Bartholomaeus circator, Joannes cantor totusque conventus monasterii Teplensis Jacobo abbati Praemonstratensi de postulatione Antonii abbatis Strahoviensis ad abbatiam Teplensem scribunt eiusque confirmationem ad hanc dignitatem petunt.

Copia chartacea anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I., fol. 348^r-349^r in bibliotheca monasterii Teplensis.

Reverendissimo in Christo patri ac domino domino Iacobo¹⁾ abbati Praemonstratensi totius nostri ordinis generali reformatori ac iudici supremo etc. frater Georgius²⁾ prior, frater Egidius³⁾ supprior, frater Bartholomaeus⁴⁾ circator, frater Ioannes⁵⁾ cantor totusque conventus monasterii Teplensis⁶⁾ debitam cum assiduis orationibus obedientiam. Reverendissime in Christo pater ac domine, non lateat v[estram] r[everendissimam] p[aternitatem] quod venerandus pater dominus Petrus⁷⁾ quondam abbas nostri monasterii post longam infirmitatem suam seculo cessit et animam deo reddidit. Nos fratres conventus praedicti ob quorundam dominorum baronum, quibus sumus circumsepti dominium monasterii et regimen desiderantes ac insidiose invadere cupientes et aliam ob causam, ne subito privaremur monasterio et bonis exanime corpus occulte in diem decimum⁸⁾ celavimus. Interim ad dominum patrem abbatem⁹⁾ occulte et ad regiam maiestatem¹⁰⁾ nuncios direximus. Adveniente patre abbate ad monasterium nostrum cum aliquibus praelatis ex capitulo ecclesiae Pragensis, qui etiam nobis in negotiis consilii et auxilii fuerunt, peractis singulis ex ordine, quae pro sepultura pertinebant ac humato corpore statim ad electionem canonicam convenimus et in praesentia patris abbatis singula secundum statuta nostri ordinis perficientes invocata gratia sancti spiritus, quamvis inter nos fratres in electione fuerit disparitas ultimatim ne induceremus periculum cum damno super monasterium et locum unanimi voto et consensu omnium nostrum postulavimus et canonice elegimus reverendum dominum Antonium¹¹⁾ protunc patrem abbatem nostri monasterii, licet consenserit invitus allegans capitulum ex statutis de translationibus abbatum, quod id minime fieri potest nec debet absque consensu et voluntate domini abbatis Praemonstratensis, tamen propter conservandam religionem et locum, qui omnino magnis subiacebat periculis, hac sub conditione consensit, ut oportuno tempore mitteret ad Praemonstra-

tum, quod et factum fuisset statim, sed ob maxima impedimenta et viarum discrimina isto pro tempore interceptum est. Et quia assensus talis electionis pro r[everendissima] p[aternitate] v[estra]spectare dignoscitur, petimus humili precatu et omni subiectione velitis gratiose talem electionem et postulationem approbare et ratam habere. Et quia adhuc pater abbas novellus¹²⁾ Strahoviensis nondum consecutus confirmationem per patrem et dominum Steinfeldensem¹³⁾, ne mora in periculum vertatur, etiam grex Christi detrimentum patiatur essetque sine legitimo pastore animarum, eundem venerandum patrem dominum Antonium, quem unanimi consensu acceptavimus vestrae reverendissimae paternitati praesentandum duximus et tenore praesentium in dei nomine praesentamus pro et cum eo humillime supplicantes, quatenus ex officio et auctoritate vestra in verum et legitimum pastorem et patrem praefati nostri monasterii instituere et confirmare dignemini gratiose et regimen ac auctoritatem in spiritualibus et temporalibus eidem committere velitis benigne. Quo facto v[estra] r[everendissima] p[aternitas] nos omnes sibi vendicabit obsecratores et exoratores ad deum fidissimos. In cuius testimonium et robur sigillum nostri conventus praesentibus est appressum. Datum anno 1526 16. iunii.

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ Georgius prior forsitan idem ac Georgius circator 1502-1503 (cf. litteras num. 92, nota 7).

³⁾ Egidius supprior forsitan idem ac Egidius quidam occurrens 4. nov. 1502.

⁴⁾ Bartholomaeus circator, occurrit tantum hac vice.

⁵⁾ Joannes cantor, forsitan idem ac Joannes cantor 7. apr. 1503 (cf. litteras num. 92, nota 8).

⁶⁾ Teplá.

⁷⁾ Petrus abbas Teplensis, cf. notam 10 num. 120 et notam 2 num. 138.

⁸⁾ i.e. 28. febr. 1526.

⁹⁾ i.e. abbatem Strahoviensem Antonium 1517-1526.

¹⁰⁾ Ludovicus rex Bohemiae 1516-1526.

¹¹⁾ Antonius abbas Strahoviensis (cf. notam 9 hic superius) postea abbas Teplensis 1526-1535.

¹²⁾ Joannes VII. Culmpach abbas Strahoviensis 1526-1535.

¹³⁾ Joannes VI. de Ahrweiler 1517-1539.

1526 iulii 24. Prémontré.

Iacobus abbas Praemonstratensis translationem Antonii abbatis Strahoviensis ad abbatiam Teplensem confirmat.

Copia chartacea anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I., fol. 349^{r-v} in bibliotheca monasterii Teplensis.

Iacobus¹⁾ sacrae theologiae professor divina permissione monasterii Praemonstratensis ad Romanam curiam nullo medio pertinentis humilis abbas totiusque ipsius ordinis superior universis praesentes litteras inspecturis salutem in domino sempiternam. Rei gestae veritatem notificare cupientes intimamus quod vacante ecclesia seu monasterio Teplensi²⁾ nostri antedicti ordinis, Pragensis diocesis per flebilis memoriae domini Petri³⁾ quondam et ultimi illius ecclesiae abbatis et pastoris decessu, prior et caeteri religiosi dicti monasterii capitulariter et more solito congregati ad novi abbatis electionem iuridice et conformiter processerunt. Et tandem solennitatibus in talibus assuetis debite observatis venerandum patrem dominum Antonium⁴⁾ abbatem tunc monasterii Strahoviensis⁵⁾ alias Montis Syon in suum et dicti monasterii Teplensis abbatem et pastorem postularunt et elegerunt. Qui de persona sua facta electione seu postulatione (praehabita tamen propter negotii arduitate dilatione) sub nostro et non alias beneplacito assensum praebuit et se transferri de loco ad locum permisit, prout in litteris⁶⁾ desuper confectis plenius vidimus contineri. Demum pro parte iam dictorum domini Antonii abbatis et eligentium debita cum instantia fuimus requisiti et rogati⁷⁾, quatenus huiusmodi electionem seu postulationem necnon et translationem sic factam confirmare et approbare vellemus et dignaremur. Nos igitur attendentes diuturnas vacationes ecclesiis et monasteriis fore dispendiosas nimium, prout non solum iura canonica sed etiam efficax rerum experientia testantur. Ipsius monasterii Teplensis et animarum periculis in quantum possumus obviare cupientes praefatum dominum Antonium abbatem (qui sub utriusque praelaturae privatione sine nostro assensu et consilio se transferri permittere non poterat) sperantes ipsum monasterium per eum circumspecte regi et salubriter dirigi, a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, inhabilitatibus et poenis ordinis praedicta vel quavis alia occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes secum auctoritate nostra imo verius apostolica qua fungimur in hac parte de specialis dono gratiae dispensamus et ab eo omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam praemissorum occasione aut alias forsitan contractam abolemus. Unde attenta relatione proborum virorum fide dignorum super vita, moribus et idoneitate ipsius domini Antonii abbatis visisque et auditis,

quae videnda erant et sunt in hac parte et quae nos et animum nostrum movere potuerunt et debuerunt, electionem sive postulationem necnon et translationem huiusmodi nostra auctoritate praemissa confirmamus et supplentes omnes et singulos defectus, quos de iure et privilegio possumus, approbamus. Et si quovismodo vel ex quacunque causa provisio eiusdem monasterii Teplensis ad nos esset devoluta de eodem domino Antonio tanquam de persona idonea eidem monasterio providemus, curam, regimen et administrationem eiusdem sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commitentes. Quocirca omnibus et singulis nostri ordinis abbatibus, prioribus, praepositis et religiosis mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praefatum dominum Antonium abbatem in apprehendenda possessione vel quasi regiminis et administratoris^{a)} bonorum dicti monasterii Teplensis assistentes faciant auctoritate nostra ab omnibus et singulis dicti monasterii fratribus et fratribus professis et aliis subditis eiusdem monasterii obedientiam, reverentiam, consueta servitia et iura ab eis sibi tanquam abbati debita integre exhiberi. Contradictores per censuram ecclesiasticam et alias ordinis nostri poenas compescentes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum. Datum Praemonstrati anno domini MDXXVI die vero XXIV mensis iulii.

a) *Potius esset legendum in copia «administrationis».*

¹⁾ *Cf. notam 1 num. 130.*

²⁾ *Teplá.*

³⁾ *Cf. notam 10 num. 120 et notam 2 num. 138.*

⁴⁾ *Cf. notas 9 et 11 num. 139.*

⁵⁾ *Strahov.*

⁶⁾ *Litterae electionis, quae facta est ipso die sepulturae abbatis Petri, nempe 28. febr. 1526 (cf. notam 8 num. 139), ad nos non pervenerunt.*

⁷⁾ *Cf. litteras 16. iun. 1526 datas (num. 139).*

1526 iul. 25. Prémontré.

Jacobus abbas Praemonstratensis Antonium abbatem Teplensem visitatorem circariae Bohemiae instituit.

Copia chartacea anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I., fol. 349^r-350^r in bibliotheca monasterii Teplensis.

Jacobus¹⁾ sacrae theologiae professor divina permissione monasterii Praemonstratensis ad Romanam curiam nullo medio pertinentis humilis abbas totiusque ipsius ordinis superior ac generalis reformatore venerabili

dilectoque confratri nostro Antonio²⁾ monasterii Teplensis nostri antedicti ordinis Pragensis diocesis abbati salutem in domino sempiternam. Cum vis humanae naturae non patitur unum corpus uno eodemque tempore locis pluribus comprehendi nosque susceptam curam regiminis in vestris partibus Boemiae et aliis personaliter exercere nequeamus, hinc est quod vobis de cuius fideli industria probitateque et solertia plenam in domino fiduciam obtinemus, tenore praesentium mandamus et mandari committimus, quatenus assumpto vobiscum aliquo nostri ordinis zelatore praelato aut canonico litterato ad omnia et singula monasteria, ecclesias et loca nostri antedicti ordinis circariae Boemiae infra nostrum instans generale capitulum accedatis ipsaque tam in spiritualibus quam in temporalibus et tam in capite quam in membris deum solum habendo prae oculis sollicitè et attente corrigendo et reformando in eisdem, quae secundum Deum, privilegia et statuta dicti ordinis nostri corrigenda reppereritis seu etiam reformanda, appellationes quascunque ad nos interiectas seu interponendas audiendo et de eis terminando. Tallias seu contributiones ordini nostro debitas petendi, exigendi et recipiendi et de receptis quittance dandi et minime eas solvendas praelatos per censuram ecclesiasticam et alias ordinis nostri poenas compescendi et si eas solverint absolvendi. Demum vestris iustis postulationibus annuere cupientes, ut virgines religiosas in praepositura sive ecclesia Chotiesaw³⁾ nostri antedicti ordinis Pragensis diocesis vobis immediate et monasterio vestro Teplensi subiecta permanere cupientes velare habitumque nostri sacri ordinis imponendo ad professionem et obedientiam manua-lem recipere vobis liceat plenam et liberam concedimus vobis auctoritate praesentium facultatem ad dies vitae vestrae duraturam. De his, quae supra praemissis feceritis, nobis et patribus ordinis in capitulo generali proxime celebrando per vos aut alium nuncium fidelem rescribendo. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum. Datum Praemonstrati anno domini MDXXVI die vero mensis iulii XXV.

¹⁾ Cf. notam I num. 130.

²⁾ Cf. notas 9 et 11 num. 139.

³⁾ Chotěšov.

[1527 maii 19.-21. Prémontré.]

Jacobus¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Antonium²⁾ abbatem Teplensem visitatorem circariae Bohemiae instituunt.

Litterae deperditae; quia Antonius abbas Teplensis per litteras 1526 iul. 25. datas (cf. num. 141) visitator institutus est (de termino «ad triennium» vel simili nulla sermo in litteris ipsis fit) et per alias litteras anni 1531 (cf. num. 144) ab officio visitationis absolutus fuit, necesse est novam institutionem hoc anno 1527 supponere, etsi discerni nequit, num ad annum unum vel tres vel plures hoc factum fuerit. Dicere etiam non possumus quo anno idem abbas circariam Saxoniam ad visitandum acceperit, de qua re anno 1531 etiam sermo fit (num. 144). Cf. etiam Valvekens, Acta II, p. 345, 354, 361.

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ Cf. notam 9 et 11 num. 139.

1531 apr. 10. Teplá.

Antonius abbas Teplensis et visitator circariae Bohemiae Jacobo abbati Praemonstratensi de statu monasteriorum ordinis in Bohemia scribit.

Copia chartacea anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I., fol. 350^v-351^v in bibliotheca monasterii Teplensis. (Cf. A. Zerlik, Das Stift Tepl in der Zeit der Glaubensspaltung von 1521-1559, AP XXXVII-1961, ubi in pag. 272-273 his litteris usus ipsas tamen non publicavit).

Reverendissimo in Christo patri et domino domino Jacobo¹⁾ abbati supremo totius ordinis nostri Praemonstratensis generali reformatori ac iudici supremo etc. frater Antonius²⁾ abbas monasterii Teplensis ordinis Praemonstratensis Pragensis diocesis debitam cum assiduis orationibus obedientiam et reverentiam. Annis superioribus³⁾ vestra reverendissima paternitas mihi officium et onus visitatoris monasteriorum per Boemiae circariam iniunxerat certe minus sufficienti et digno ad exequendum huiusmodi mandatum. Verum iuxta mandatum reverendissimae vestrae paternitatis de statu tam singulorum locorum quam personarum rationem exegimus etiam tallias ordini obligates et reverendissimae vestrae paternitati postulavimus. De his omnibus et singulis scilicet de statu monasteriorum per Boemiam constitutorum reverendissimae vestrae paternitati litteris⁴⁾ significavimus et nuncium nostrum cum litteris et munusculis licet parvis tanto patri transmisimus, sed quid actum sit cum nuncio, quem in hodiernum non vidimus, ignoramus nisi quod timemus ipsum in itinere defecisse, quia tunc illa in via ubique insidiae et spolia per illos, qui se erexerant rusticos contra spirituales secta Lutheriana commotos bachabantur. Dehinc iterato etiam conscientia stimulatus, ne inobediens iudicaretur, unum ex canonicis fratribus meis mittere proposui ad reverendissimam vestram paternitatem de prioribus quam praesenti-

bus rationem redditurus, sed negotium in dies protrahebatur propter paucitatem fratrum meorum, quia aliqui, pro dolor, doctrina Lutheri decepti habitum cum religione deposuerunt, aliqui ex vivis decesserunt, pauci qui supersunt lenitate, mansuetudine nostra et bonitate gratiaque divina ducti dehinc etiam provisione sufficienti in monasterio et religione perseverant et conservantur. Etiam fidelem baiulum secularem habere ad hoc non potui. Sic etiam intervenire plurima impedimenta scilicet exactiones a regibus nostris etiam contributiones continuae tam ex bonis nostri monasterii quam etiam hominum homagialiorum [!] nostrorum, modo in subsidium regis, modo contra Turcas et in his contribuendis et dandis non est finis. Ubi status spiritualis et monasteriorum attenuantur usque ad summam et timendum, ne tota religio monasteriorum per Boemiam pereat, sicut iam etiam in circaria Saxoniae monasteria cum personis in ditionem et potestatem secularium devenere. Ferdinandus⁵⁾ Boemiae et Hungariae rex modo etiam rex Romanorum, frater imperatoris Caroli V.⁶⁾, qui gerit nomen christiani optimi regis, in suis dominiis multas expoliavit [!] ecclesias in clenodiis, modo etiam in Boemia eadem potestate utitur et anno praeterito a monasterio nostro Teplensi, quod aliquomodo virere in bonis et hospitalitate videbatur, tertiam partem bonorum, videlicet decem et octo villas cum piscinis et sylvis et proventibus abstulit ac pro decem millibus flor. uni domino baroni ad vitam suam et suorum proscripsit⁷⁾ et demum post obitum istius domini et suorum, si volumus, cum summa praedicta ad redimendum, ut ex monasterio et residuis locis demus eandem pecuniae summam. Qualis iustitia, o Deus! In aliis quoque gravaminibus et steuris nostrum monasterium sicuti et caetera tam nostri quam aliorum ordinum ita gravantur, ut modo nullus inveniatur, qui se det ad ordinem et qui sunt in ordine, cum amaritudine vivunt et si Deus omnipotens sua pietate et misericordia nobis non subvenerit et beata virgo Maria patrona nostri ordinis pallium suae protectionis subtraxerit timendum, ne brevi pereamus. Ego cum undecim fratribus monasterium Teplense modo teneo. Pater abbas noster Strahoviensis⁸⁾ ipsemet tertius existit. Praepositus Doxanensis⁹⁾ cum quinque virginibus et capellano monasterium suum possidet. Praepositus Chotiessoviensis¹⁰⁾ cum decem virginibus et capellano. Ubi quondam in esse existentibus huiusmodi monasteriis religio sancta vigeat et personarum multitudine decorabantur, modo autem bona monasteriorum partim ab haereticis et schismaticis et malis hominibus ablata et destructa, partim a regibus Boemiae bona sunt proscrip-ta et etiam totaliter alienata, ut modo parum de prioribus bonis et

possessionibus gaudeamus et fruamur et istis adhuc residuis parvis et modicis pacifice uti non permittimur. Nos spirituales in regno Boemiae privamur capite. Non enim habemus archiepiscopum¹¹⁾, qui nostras iurisdictiones et privilegia defenderet, sic sumus peripsema omnibus et a nullo auxilium habemus et quodammodo vitam amaram ducimus. Etiam non lateat vestram reverendissimam paternitatem, me crebra infirmitate podagrae et incommodis corporalibus opprimi et subiacere. Idcirco propter Deum humillime supplico me ab onere et obedientia iniuncta gratiose ac paterne supportare dignetur. Et veniam humiliter peto de negligentia mea, quod tempore oportuno ad capitulum et vestram reverendissimam paternitatem non miserim. Et si quid in officio mihi iniuncto minus diligenter perfeceram, dominus abbas Strahoviensis¹²⁾ pater abbas noster, vir persona, doctrina, iuventute et fortitudinis dono decoratus huic, si quid commitendum vestrae reverendissimae paternitati et venerabili capitulo visum fuerit, absque dubio fidelem inveniet. Caeterum quae apud nos aguntur sumus quidem maximis angustiis oppressi, penuriam victualium patimur, ubi plerumque homines fame pereunt et iumenta, plagam Dei, mortalitatem scilicet omni hora expectamus [!], adventus Turcorum ad nostras provincias nobis praedicatur et timetur. Etiam dissensiones dominorum in regno nostro, quam in vicinis bellorum tonitrua et coruscationes minitantur. Utinam pluviam, non grandinem haberemus! In periculo res nostrae sunt, Deus optimus ad suam voluntatem et laudem singula ordinare dignetur. Hisque felicissime vivat et valeat vestra reverendissima paternitas aeo sempiterno cum omnibus reverendis patribus, quibus me humiliter commendo. Ex nostro Teplensi monasterio feria secunda Paschatis anno domini 1531.

¹⁾ Cf. notam 1 num. 130.

²⁾ Cf. notam 9 et 11 num. 139.

³⁾ Id est annis 1526 et sequentibus, cf. litteras num. 141 et 142.

⁴⁾ De illis litteris nihil scitur.

⁵⁾ Ferdinandus rex Bohemiae et Hungariae 1526-1564.

⁶⁾ Carolus V. rex Romanorum ab 1519, imperator ab 1530, resignavit 1556, obiit 1558.

⁷⁾ nempe Joanni Pflug de Rabenstein, cancellario regni Bohemiae, cf. litteras 1530 apr. 8. datas, in copia in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis tom. II., fol. 74'-76', in bibliotheca monasterii Teplensis.

⁸⁾ Joannes VII. Culmpach abbas Strahoviensis 1526-1535.

⁹⁾ Joannes V. Puchauer praepositus Doxanensis 1517-1531 resignavit, obiit 1541.

¹⁰⁾ Matthias praepositus Chotesoviensis 1521-1549.

¹¹⁾ Annis 1421-1561 sedes archiepiscopalis Pragensis vacavit.

¹²⁾ Cf. notam 8 hic superius.

[1531 maii 7.-9. Laon.]

*Amatus de Fonte*¹⁾ s. *Martini Laudunensis abbas vicarius delegatus Jacobi*²⁾ *abbatis Praemonstratensis et capitulum generale Antonium abbatem Teplensem ab officio visitationis in circariis Saxoniae et Bohemiae absolventes Johannem abbatem Strahoviensem ad triennium [= 1531-1534] in locum ipsius subrogant.*

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta III, p. 11: «Item, capitulum absolvit ab officio visitationis reverendum patrem³⁾ monasterii Teplensis in praefatis circariis Saxoniae et Bohemiae, reverendum patrem⁴⁾ monasterii Strahoviensis hinc ad triennium in locum ipsius subrogando et hoc benigne precibus ipsius pie et laudabiliter annuendo. Pariformiter eo videlicet tenore quod per se aut per procuratorem comparebit in proximo capitulo nostro generali redditurus videlicet rationem principaliter villicationis suae. Et inseratur clausula in sua commissione amplissima, quod capitulum eundem absolvit a quibuscumque poenis et censuris ordinis, si quas antehac occurrente humana fragilitate aut certa malitia, quod absit, contraxerit». *Ibid. pag. 13:* «Visitatores anni praesentis: ...Saxoniae et Bohemiae: Abbas Strahoviensis ad triennium».

¹⁾ Cf. *Valvekens, Acta III, p. 3, nota 1).*

²⁾ Cf. *notam 1 num. 130. Obiit non multo post celebratum capitulum generale, die 16. maii 1531 (cf. J. Le Paige, Bibliotheca Praemonstratensis ordinis, pag. 956).*

³⁾ Cf. *notam 9 et 11 num. 139. Quo anno circaria Saxoniae Antonio abbati Teplensi commissa fuerit, discerni nequit. Anno 1526 (cf. num. 141) nulla fit mentio Saxoniae expressa.*

⁴⁾ Cf. *notam 8 num. 143.*

[1531 maii 7.-9. Laon.]

*Amatus de Fonte*¹⁾ s. *Martini Laudunensis abbas vicarius delegatus Jacobi*²⁾ *abbatis Praemonstratensis et capitulum generale abbates circariae Bohemiae et praepositos circariae Saxoniae hortantur, quatenus viriliter persistent in plenaria observatione strictissimae religionis.*

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta III, p. 10: «Item, capitulum ordinat, quod fiant litterae missivae consalutariae abbatibus [*ita etiam pro Saxonia, ubi tantum praepositi semper erant*] circariarum Saxoniae et Bohemiae, quatenus viriliter persistent in plenaria observatione nostrae strictissimae religionis et reddant Altissimo vota sua quae distinxerunt labia sua³⁾».

¹⁾ Cf. *notam 1 num. 144.*

²⁾ Cf. *notam 1 num. 130 et 2 num. 144.*

³⁾ Cf. *Ps. LXX, 13:* «Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea».

[1534 maii 3.-5. Laon.]

*Amatus de Fonte s. Martini Laudunensis abbas*¹⁾ *sede vacante abbatiali monasterii Praemonstratensis et capitulum generale Joannem*²⁾ *abbatem Strahoviensem visitatorem circariarum Saxoniae et Bohemiae instituunt*^{3).}

Litterae deperditae. Institutio visitoris anno 1531 facta (cf. num. 144) ad triennium hoc ipso anno 1534 exspiravit. Quia idem Joannes abbas Strahoviensis dignitatem visitoris etiam anno 1536 (cf. num. 148), tunc iam abbas Teplensis factus, tenuit, ipsius nova institutio hoc anno [= 1534] necessaria erat.

¹⁾ Cf. Valvekens, *Acta III*, p. 3, nota 1) et p. 37 nota 2).

²⁾ Cf. notam 8 num. 143.

³⁾ Nescitur num hoc ad triennium factum fuerit, quamquam verisimile videtur.

1535 mart. 12. Doksany.

Joannes praepositus Doxanensis abbati Praemonstratensi de non solutis talliis ordini debitis scribit.

Copia chartacea anno 1720 scripta, in libro manuscripto Annales Doxanae anno 1720 conscripti a P. Urbano Voita, in bibliotheca monasterii Strahoviensis Pragmae, sign. DC II 3a, pag. 147-148.

Reverendissimo ac ornatissimo viro et domino, domino N.¹⁾ Praemonstratensium ordinis generali dignissimo, patri ac domine suo observandissimo incomparabilique salutem et omnem obedientiam. Ornatissime vir ac reverendissime pater et domine utriusque hominis sanitatem reverendissimae vestrae paternitati cum tota patrum venerabili conventione ex penetralibus fideque adstructa et vera opta. Me non fugit triennio²⁾ iam peracto elegantissimis scriptis venerandum in Christo patrem et dominum Strahoviensis coenobii Pragensi in suburbio, praelatum³⁾ nempe meum in ista Bohemorum terra semper observandum assueti et iusti vectigalis causa non immerito admonuisse quod unusquisque nostrum tamquam reverendissimo patri et domino domino generali nostro dignissimo iure persolvere cogitur. Et equidem ea, quae adstrictus sum Deo Optimo Maximo teste praesenti cum tabellario lubentissime misissem, in commune malum heu totam quasi provinciam in tantam pauperiem redegisset. Non dubito quin de tributis vestrae reverendissimae paternitatis iam dudum rescivit serenissimo Romanorum, Bohemiae, Hungarorum regi nostro Ferdinando⁴⁾ etc. pro defen-

sione contra crudelissimum Christianae gentis tyrannum tribus vicibus datis et iam iam quarta dandum. Tanta enim omni ex parte instant pericula, ut non immerito ferream nunc apud nos aetatem esse opiner et istis praesertim temporibus. Si quis devitare vellet Scillam, in Charybdim cito cadet. Quid dicam de inaudita monasterii paupertate, omnia aedificia ruinam minitantur et vix mihi superest, quo ista resarcirem tegulis aliisque admuntionibus, pagos, praedia et oppidula aliaque bona urgente necessitate antecessores mei, quorum animas archipotens Deus in sancta conservet pace, oppignoraverunt, ut iam praefatum monasterium magnis debitis est aggravatum. Quo nullus praepositurae dignitatem imo paupertatem subire voluit, equidem per praenominatum dominum abbatem obedientiae causa admonitus istius praepositurae curam agere abhorrebam multumque mecum animo volvebam, penitus recusassem, at divi Pauli⁵⁾ dictum ob oculos veniebat nempe quod omnis potestas a Deo est et si quis huic contradiceret, Dei ordinationi resisteret, ministros humunculos bona atque mala omnia aequo ferre animo dignum esse, sed ne silentio praeterire videar, quae maxime recensere opus est, redditus annuatos habet nullos, tantum victum et amictum, ex uno praedio diuturnis laboribus, quae aegre acquiri, aliquas etenim personas, quae sacris assidue precationibus Deo serviunt, mecum omni cum corporis sustentatione foveo. Quid tum mercenariis annuatim dandum et servis, quos dietice laborantes nutrio? Hanc ob causam reverendissima vestra paternitas me excusatum habeat ac potius animum erga vestram reverendissimam paternitatem candidissimum meamque paupertatem boni vellet consulere. Postremo Deus Optimus Maximus vestram reverendissimam paternitatem cum venerandis in Christo patribus felici regimine in Nestorios usque annos nobis incolumem conservet meque reverendissimae vestrae paternitati et venerandis patribus commendo ac omnes ex corde in domino Jesu servatore nostro valere iubeo. Datis ex coenobio Doxanensi⁶⁾ in festo divi Gregorii anno a Jesu nato 1535.

Vestrae reverendissimae paternitatis humilis frater Johannes⁷⁾ praepositus Doxanensis ordinis Praemonstratensis.

¹⁾ Forsan hic intelligitur Joannes de Foulembay, abbas Clari Fontis (Clairefontaine), vicarius generalis in spiritualibus Francisci cardinalis Pisani ac monasterii Praemonstratensis abbatis commendatarii (cf. Backmund, *Mon.* II, p. 372 et 529, nota 110, etiam Valvekens, *Acta III*, p. 51 nota 2).

²⁾ i.e. anno 1532 vel annis 1532-1535.

³⁾ Cf. notam 8 num. 143. Obiit 8. apr. 1535.

⁴⁾ Ferdinandus rex Romanorum 1556-1564, Bohemiae 1526-1564, Hungariae 1526-1564.

⁵⁾ Omnis potestas a Deo est et si quis huic contradiceret, Dei ordinationi resisteret, cf. *Rom* 13, 1-2.

⁶⁾ Doksany.

⁷⁾ Joannes Freywald, praepositus Doxanensis 1531-1563.

148

[1536 maii 14.-16. Prémontré.]

Joannes¹⁾ abbas monasterii Clari Fontis et vicarius generalis in spiritualibus Francisci cardinalis Pisani ac monasterii Praemonstratensis abbatis commendatarii et capitulum generale electionem Joannis abbatis Strahoviensis in abbatem Teplensem ratam gratamque habent eumque visitatorem circariarum Saxoniae et Bohemiae pro tunc et nunc instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta III, p. 70: «Item, quia iuridice et sufficienter capitulo generali constitit electionem a paucis diebus citra in monasterio Teplensi factam esse canonicam et iuri conformem, capitulum eapropter cupiens praedictum monasterium regi in bona disciplina regulari et multum confidens de meritis et moribus electi²⁾, eandem electionem ratam gratamque habet, praecipiens insuper praescripto electo quatenus se in proximo capitulo generali personaliter repraesentet ad informandum praedictum capitulum super statu et regimine monasteriorum circariae Bohemiae et Saxoniae; quem creat et nominat pro tunc et nunc visitatorem praedictarum circariarum una cum plenitudine potestatis»³⁾.

¹⁾ Cf. notam I num. 147.

²⁾ Joannes Curtius, 13. apr. 1535 electus abbas Strahoviensis et 13. maii eiusdem anni electus abbas Teplensis.

³⁾ Institutio visitoris facta est verisimiliter ad triennium, i.e. usque ad annum 1539, quo idem visitor denuo institutus est ad triennium (cf. num. 149).

149

[1539 maii 4.-6. Prémontré.]

Amatus¹⁾ de Fonte s. Martini Laudunensis abbas, Francisci cardinalis Pisani Praemonstratensis perpetui commendatarii vicarius generalis et capitulum generale Joannem abbatem Teplensem visitatorem circariarum Bohemiae et Saxoniae ad triennium [= 1539-1542] instituunt.

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta III, p. 104: «Consimiliter ordinat [= capitulum generale] quod fiat commissio triennalis in amplissima forma cum plenitudine potestatis domino abbati Teplensi²⁾ circariae Bohemicae dirigenda, ut secundum Deum, ordinis privilegia et regularia instituta, monasteria Bohemiae et Saxoniae habeat visitare et reformare, tallias ordinis recipere et capituli generalis compotum, rationem, reliqua facere et reddere teneatur». Ibidem pag. 111: «Visitatores anni praesentis: ...circariarum Bohemiae et Saxoniae: Abbas Teplensis, ad triennium».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 146 et Valvekens, Acta III, p. 96.

²⁾ Cf. notam 2 num. 148.

150

[1541 maii 15.-17. Laon.]

*Amatus de Fonte*¹⁾ s. *Martini Laudunensis abbas, Francisci cardinalis Pisani Praemonstratensis perpetui commendatarii vicarius generalis in spiritualibus et capitulum generale [Andream abbatem Lucensem?] de poena fratri Jacobo eiusdem monasterii infligenda certiore faciant.*

Litterae deperditae, cf. Valvekens, Acta III, p. 134: «Item, quia veraciter et latissime constat per informationes transmissas fuisse quod frater Iacobus Tronssons [!]²⁾, religiosus monasterii de Luca³⁾ fuit convictus sufficienter de incontinentia, lapsu carnis et concubinato in dormitorio commisisse, capitulum generale super praemissis misericorditer procedens emissionem decem annorum quam ex statutis meritus est in aliam poenitentiam commutando et poena carceris per annum puniri et affligendum diffinit et decernit eundem in pane et aqua doloris omni sexta feria puniendum, salva tamen eiusdem capituli generalis vel proprii abbatis⁴⁾ gratia seu misericordia».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 146 et 1 num. 149 et Valvekens, Acta III, p. 126.

²⁾ «Tronssons» est certe mutilatum aut per scribam Actorum capitulorum generalium aut per copistam anni 1662 (cf. Valvekens, Acta III, p. 137).

³⁾ Louka.

⁴⁾ Andreas Weiss abbas Lucensis 1536-1542.

ADDITAMENTA

150 bis

[1368 oct. 9.-11. Prémontré]

[Petrus de Froidsaints abbas Praemonstratensis et] capitulum generale Hermannum abbatem Teplensem et Ulricum praepositum Chotěšoviensem ad visitandam ecclesiam Speinshartensem deputant.

Litterae deperditae, cf. litteras 1369 Ian. 17. datas (Bayerisches Hauptstaatsarchiv München, KU Speinshart 138): «Nos Hermannus¹⁾ Teplensis et Ulricus²⁾ Chotyessovicensis ecclesiarum prelati ordinis Premonstratensis Pragense diocesis...deputati a Premonstratensi capitulo generali³⁾ in plenitudine potestatis ad visitandam ecclesiam Spainshartensem tam in capite quam in membris...».

¹⁾ Hermannus abbas Teplensis 1365-1380.

²⁾ Ulricus praepositus Chotěšoviensis 1367-1380.

³⁾ Ergo 9.-11. Oct. 1368.

151

1420 oct. 16.

Petrus¹⁾ abbas Praemonstratensis [praeposito et conventui] Plagensibus²⁾ gratias agit pro aliquot florenis, quos se ab ipsis per abbatem³⁾ Urspergenssem recepisse testatur.

Litterae deperditae, cf. Acta Plagensium per annales decursus distincta (auctore Francisco Freisleben), ms. chart. annorum 1645-1649 in archivo abbatiae Plagensis in Austria Superiore, sign. Ms. 16, fol. 52^v-53^r: «Laboravit per haec tempora Gallia decennali fere pestilentiae^{a)} lue, unde ordinis consueta alias capitula Praemonstrati diutius celebrari non poterant nec subsidia aliqua a sui ordinis coenobiis ecclesia Praemonstratensis acquirere, quare ad extremam inopiam redacta est. Erat tunc ordinis nostri caput Petrus quidam. Hic ad Plagenses litterulas aliquas sub dato 16. octobris 1420 misit, in quibus magno affectu gratias refert de aliquot florenulis, quos se a Plagensibus in extrema sua necessitate per abbatem Urspergenssem recepisse testatur».

¹⁾ Cf. notam 4 num. 53.

²⁾ Schlägl in Austria Superiore.

³⁾ Wilhelm Sartor 1407-1448.

^{a)} pestilentia, in ms.

152

1485 maii 4. St. Quentin.

Hubertus abbas Praemonstratensis Bernardo abbati Gradicensi mandat, ut electiones abbatum Selboldensis, Vescerensis et Monasteriensis, si ipsi constiterit illas fuisse canonice celebratas, confirmet.

Transsumptum in litteris pergam. cum sigillo pendenti Bernardi abbatis Gradicensis die 6. decembris 1485 datis, quae in archivo ducali Birsteinensi in Re publica foederali Germanica sub num. 595 asservantur.

Copia litterarum praecedentium, pap., circa annum 1800 confecta, in eodem archivo sub eodem numero.

Cf. Fr. Battenberg, Isenburger Urkunden, num. 3136 et 3169.

Hubertus¹⁾ permissione divina Premonstratensis abbas ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinens, iudex superior totius ordinis ac generalis reformator venerabili nobis in Christo fratri Bernhardo²⁾ abbati

Gradicensi nostri dicti ordinis Premonstratensis Olomacensis [!] dyocesis salutem. Ad nostrum nuper pervenit auditum, quod monasteria Selboldense³⁾, Vescerense⁴⁾, Monasteriense⁵⁾ nobis immediate subiecta vacarunt per resignacionem et obitum prelatorum eadem tum fideliter regencium. Quibus vacantibus religiosi conventuales eorundem ad electionem novorum prelatorum processerunt, quorum confirmacionem [!]^{a)} ad nos causa nostre dignitatis abbacialis. Premonstratensis auctoritate paternitatis dinoscitur pertinere. Ea de re confidentes ad plenum de vestris fidelitate, sciencia et legalitate mandamus dum et quando pro parte prefatorum electorum fueritis requisiti, electiones eorundem si per decreta et processus earundem vobis constiterit fuisse canonice celebratas, easdem nomine nostro confirmetis, ratificetis et approbetis ac prelatos sic per vos confirmatos in possessionem realem, actualem et personalem ponatis et inducatis seu poni et induci faciatis, proclamari et aliorum bonorum mobilium et immobilium traditionem, religiosos ac subditos utriusque sexus dictorum monasteriorum ad prestandum eisdem et eorum alteri obedienciam salutarem, censuris quibus decet ecclesiasticis et aliis nostri ordinis penis viriliter compellentes, iure nostro in hiis semper salvo. Datum sub sigillo nostro apud sanctum Quintinum in Viromandia anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto die quarta mensis maii.

^{a)} in orig. loco confirmacio.

^{b)} in orig. scriptum tradicon.

¹⁾ Cf. notam 3 num. 68.

²⁾ Cf. notam 2 num. 70.

³⁾ Langenselbold prope Gelnhausen.

⁴⁾ Vessra in Thuringia.

⁵⁾ Münsterdreisen prope Göllheim.

1540 [post apr. 27. Prémontré.]

*Amatus de Fonte*¹⁾ s. Martini Laudunensis abbas, Francisci cardinalis Pisani Praemonstratensis perpetui commendatarii vicarius generalis in spiritualibus Joanni abbati Teplensi iniungit, ut monasteria Bohemiae et Moraviae visitet.

Litterae deperditae, post celebrationem capituli generalis anni 1540 (apr. 25.-27.) nomine abbatis Praemonstratensis datae (propterea in actis capituli generalis nulla mentio fit, cf. Valvekens, Acta III, p. 113 sqq.), ut nos Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 155^v in bibliotheca monasterii Teplensis docent: «Anno 1540

d. abbas Teplensis²⁾ commissionem visitandi monasteria circariarum Boemiae et Moraviae a reverendissimo d. generali accepit. Huic circa festum Omnium sanctorum [= 1540 nov. 1.] satisfacere et monasteria in Moravia visitare voluit, sed canonici quidam Pragenses dissuaserunt, ne tam grave onus non fultus regia auctoritate in se reciperet, alioqui [!] enim futurum, ut pro maximo labore nihil aliud quam cachinnos reportet. Sic visitare intermisit et rev. d. generali temporis iniuriam praetendens eandem commissionem restituit, nomen vero visitoris aliquot annis retinuit».

1) Cf. notam 1 num. 144.

2) Cf. notam 2 num. 148.

INDEX RERUM ET NOMINUM TAM PERSONARUM QUAM LOCORUM

(in quo tantum ea continentur, quae in litteris in libro hoc editis aut in fontibus adhibitis inveniuntur non vero ea, quae tantum in notis habentur).

can. = canonicus, dép. = département, dioec. = dioecesis, fr. = frater, germ. = germanice, lat. = latine, mon. = monasterium, s. = sanctus, v. = vide.

(Abbas, canonicus, capellanus, cellarius, circator, conventus, ecclesia, fratres, monasterium, moniales, praepositus, prior, supprior, sorores etc.: quaere sub voce singulorum monasteriorum).

Numeri singulas litteras (non paginas!) significant.

A

abbates inoboedientes, inutiles, ordinis praevaricatores: 108, 112, 123, 137
abbatia, officium abbatiae: 119
abbatissa, Agnes s. Georgii (OSB): 10; Chotseviensis (!): 125
Actus apostolorum: 13
Adam, abbas Praemonstratensis: 23, 26; abbas Strahoviensis (= Montis Sion): 7, 8, 9, 10, 12
Adlochowicz v. Odlochovice
aedificia: 13, 39
Agnes, abbatissa s. Georgii (OSB): 10.
Alamania: 66.
Alba Ecclesia v. Hranice
Albertus quondam abbas v. Teplá
Alexander III. papa: 5
almutia: 33, 76, 108
Ananias: 13
Anglia, circaria: 130, 131
annuus v. census annuus, visitator annuus
Antonius, abbas v. Teplá; prior v. Teplá
apostasia: 99
apostatae, apostati (!): 62, 76, 108, 112, 123, 137
apostoli, Actus apostolorum: 13
appellationes praelatorum, subditorum: 108, 112, 137
archiepiscopi: 111

argentum, marcae argenti: 18
Argona (Ardennes) v. Belval
arma: 12
armati: 36
assessor circatoris annui: 24
Augustinus beatus, regula: 13
Austria: 5, 29, 40, 45, 53, 67, 68, 69, 74, 79, 80, 81, 82, 85, 86, 87, 89, 96, 102, 107, 109, 113, 116, 118, 122, 127, 129 (circariam quaere sub voce: circaria Bohemiae, Moraviae et Austriae)

B

barones regni (Bohemiae): 120
Bartholomaeus, circator v. Teplá
Bavaria, circaria: 67, 68, 70, 71, 74, 88, 94, 100, 105
Bavorovice, Bohemia australis, pars oppidi Hluboká (Baurowicz): Petrus de, v. Hradisko
Beauport, Gallia, dép. Côtes du Nord, dioec. St. Brieuc/Bretagne (Belli Portus in Britannia Briocensis dioecesis): abbas monasterii: 121
Belval, Gallia, dép. des Ardennes, dioec. Reims (Bella Vallis in Argona): Johannes abbas Bellevallis: 39
Beneda, abbas v. Teplá

benedictio (praelatorum), munus benedictionis: 76, 112, 137

benefactores: 26

beneficia: 137

beneficiati nostri ordinis: 112

Beranov, Bohemiae occidentalis, villa apud Karlovy Vary (Beranow): villa monasterii Teplensis: 37

Bernhardus, abbas v. Hradisko, Želiv, praepositus v. Louňovice

Binche, Belgia, Hainaut (Binchium): 54

bireti: 33

bischthum (!) Olmer (!) v. Olomouc

Blanice, Bohemia australis, villa pertinens ad Bavorov apud Strakonice (Blanitz): ius patronatus monasterii Milocensis: 44

Blovice, Bohemia occidentalis, a Plzeň versus austrum (Blowycz): Johannes de, v. Teplá

Bohemi: 1; Bohemorum terra: 147

Bohemia, Bochemia, Boemia: 1, 4, 13, 20, 24, 27, 29, 32, 45, 53, 54, 56, 62, 64, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 74, 75, 76, 79, 80, 81, 82, 85, 86, 87, 88, 94, 100, 104, 105, 108, 112, 115, 117, 120, 121, 123, 126, 128, 130, 131, 132, 133, 134, 135, 136, 137, 141, 142, 143, 144, 145, 146, 148, 149, 153; (vide etiam: circaria Bohemiae, Bohemiae-Moraviae, Bohemiae-Moraviae-Austriae); archiepiscopus: 143; barones regni: 120; dux Sobeslaus (I.): 1; dux Wladislaus (II.): 1, 4; reges: 143; regnum: 17, 18, 64, 143; rex: Karolus: 36; Ferdinandus (I.): 143, 147; Georgius: 58; Ottocarus (I.): 8, 9, 10, 12; Wladislaus: 78.

bona: 76; ecclesiae: 12; spiritualia: 26

brachium saeculare: 104, 108, 112

Braine, Gallia, prope Soissons in dép. Aisne (sancti Evodii monasterium): 78

Brieuc, Gallia, Bretagne (Briocensis dioecesis in Britannia): 121

Brno, Morava, quondam caput marchionatus Moraviae in hodierna Bohemoslovia (Bruna): civitas: 110

bullae, (Pius II.): 62; modificationis statutorum: 108, 112; bullae v. Chotěšov

C, CH, K

Calabria, circaria: 81, 82, 85, 86, 87, 88, 96, 102, 107, 109, 113, 116, 118, 122, 127, 129, 130, 131, 132, 133, 134, 135, 136, 137

calculus: 62, 76

Kamenná Horka, germ. Hermannsdorf, Moravia, villa prope Svitavy (Hermanni villa): 19

